



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

caput XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

essentia, Matt. vlt. Christus expressit tres personas & unitatem naturę, inquit: Baptizate eos in nomine (non in nominibus, sed in nomine) Patris & Filij & Spiritus sancti. Est igitur hæc fides Catholica, vt vni Deum in Trinitate personarum, & Trinitatem personarum in vnitatem naturę veneremur, vt inquit D. Athanasius in suo Symbolo, Quicumq; vult saluus esse, &c. Inexpiabile igitur scelus est, non credere, aut spem suam non ponere in summè sapientem, summè bonum, & summè potentem Deum.

PATREM OMNIPOTENTEM,
creatorem cœli & terrę.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit credere in Deum patrem.*
2. *Quid Deus pater filiis suis, id est, credentibus vult dare in presenti & in futura vita.*
3. *Quam sit res gloriosa, esse & dici filium Dei, & habere Deum pro patre.*

1.



Redere in Deum patrem, est credere in Deum qui est omnipotens, qui est creator cœli & terrę ac omnium creaturarum, sit pater tuus, & multo maiorem curam de te habeat, quã carnalis pater, sicut dicit per prophetam Esai. 49. Nunquid potest obliuisci mater pueri sui? & si ipsa obliuiscitur, ego tamen non &c. & 1. Petr. vltim. Ipsi enim est cura de vobis. Est quoque certa fiducia, credere & tenere, quòd Deus pater noster est omnipotens, ne quis de potentia Dei patris in iuando dubitet. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos &c. Rom. 8. neq; creatura, neque mors, neque diabolus: Si Deus iustificat, quis

quis est qui condemnet? Est quoque credere, quod Deus pater noster, est creator cœli & terrę & omnium rerum, quæ ad nostrum vsum creauit, quo nos sustentare velit, & semper de manu sua reficere. Matth. 6. Scit pater vester quia his omnibus indigetis. Deus depauperari non potest. Sed diues est in omnes qui inuocant nomen eius, Romanor. 10. Credere quoque in Deum patrem, est firmissimè tenere & nullo pacto dubitare, quod Deus qui propter filium suum nobis factus est pater, etiam propter eundem Christum nos recipiat in gratiam, & ex misericordia nobis exhibeat & offerat filium suum cum omnibus bonis filij, Romanor. 8. tanquam certissimum pignus salutis æternæ. Qui ergo sic credit verbo Dei patris nostri, hic rectè cognoscit ac veneratur Deum patrē: quare grauissimum peccatum est, tam pium Deū patrem non agnoscere: est enim patris nomen amabile: si gaudet filius quod principem habet patrem, quanto plūs gaudeat Christianus, quoniam Deum habet patrem?

Non sine causa Deus vult à nobis nominari pater & esse, 2. Cori. 12. inquit Apostolus: Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. Quoniā ergo Deus est noster pater, & nos filij eius, igitur dare vult nobis in præsentī vitæ, necessaria, & in futuro, gloriam æternam. Ad filios enim spectat hereditas ac diuitiæ parentum. Si ergo nos filij Dei, ergo & hæredes, Rom. 8. hæredes Dei & cohæredes Christi. sic Esa. 64. & 1. Corinth. 2. scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. & Rom. 8. Non sunt cōdignę passionēs huius temporis ad futurā gloriam quę reuelabitur in nobis. Habet enim Deus pater noster triplicia opera, quæ in nobis exercet donec saluamur, & ad vitam perueniamus: primò Deus pater creauit nos, corpus & animā dedit & vitæ

& vitæ necessaria: omnes quoq; creaturas nobis subiecit: deindè, quia Adam peccauit, & nos omnes in peccatis nascimur, ideò nos Deus filius iterum à peccato redemit & liberauit Roman. 4. mortuus est pro peccatis nostris, & hoc sua morte impetrauit nobis quòd nostra nobis dimittuntur peccata, quoties uoluerimus & petierimus, Matt. 18. Postremò, quoniam peccata nobis per fidem sunt remissa, datur nobis etiam DEVS Spiritus sanctus, qui nos sanctificat, & iustos ac bonos facit atque templum Dei. Hęc omnia nobis contingunt, quia Deus est pater noster, & nos filij eius: Ideò dicere, credo in Deum patrem, idem est quod, credo in Deum patrem qui me creauit, credo in Deum filium qui me redemit, credo in Deum Spiritum sanctum qui me purificat & sanctificat: aut, credo in Deum qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et quoniam Deus nobis pater est, ideò omnem spem & fiduciam in illum locare debemus: nemo enim tam infirmus est, quin poterit sanari, quia Deus omnipotens: nemo tam pauper, quin illum possit ditare: nemo tam simplex, quin poterit eum facere sapientem: nemo tam despectus, quin possit eum exaltare: nemo tam sordidus, quin possit eum iustificare: nemo tam infidelis, quin possit eum facere fidelem: ideò illi soli fidere debemus, quoniam omnia sunt in sua potestate & manu. Insuper quia omnia creauit ad nostrum seruitium, Solem, Lunam, elementa, herbas, fructus & animalia, & hęc antequam nos crearet, vt indicaret quantam pro nobis curam ageret, vt antè nostram natiuitatem omnia nostra necessaria essent creata: ideò illi fidere toto pectore debemus: Nam si creauit cœlum & terram, ergo est Dominus illorum, & omnia oportet fiant in cœlo & in terra, sicut ipse uult: & quia ppter nos hęc omnia creauit, ideò & sic contingit: quare iubet nos non esse sollicitos, quid manducemus, aut quę operemur, Mat. 6. sed so-

L
sed solu
eius, &c.
Magn
lij Dei: F
lium pri
ria hęc e
an. 3. Vid
noster D
rea mun
Charisim
ruit quo
statem fil
ius. Ad il
Fides, vt
stiani ap
1. Corint
hoc enim
in vnum
maximè
Christi f
peccata, t
enim gra
sicut doc
in virum
peccauer
dicus, ad
ita pessim

ET

f

sed so-

sed solum primùm querere regnum Dei & iustitiam eius, &c.

Magna gloria nobis est, quòd sumus & dicimur filij Dei: Homines plurimùm mirantur & extollunt filium principis, diuitis, aut regis potentis: maior gloria hæc est, quoniam filij Dei sumus: ideò inquit 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem ostendit nobis pater noster Deus, vt filij Dei nominemur & simus, propterea mundus non nouit nos, quia non nouit eum: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus &c. 1. Ioan. 3. Sic Ioan. 1. dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Ad illam igitur magnam gloriam promouet nos Fides, vt nominemur & simus filij Dei. Igitur si Christiani apud mundum sunt despecti atq; spectaculum, 1. Corint. 4. sunt tamen filij Dei, & primè Tim. 4. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in vnum Deum, qui est seruator omnium hominum, maximè fidelium. Et quoniam filij Dei propter fidem Christi facti sumus, ideò maximè cauere debemus peccata, ne transgrediamur præcepta patris: plurimùm enim grauat peccatum, si quis in Deum peccauerit, sicut docuit Heli filios suos, 1. Reg. 2. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit? Pudeat ergo maledicus, adulter, vsurarius, fornicator, ebriosus &c. qui ita pessimè viuunt, quandò dici volunt filij Dei.

ET IN IESUM CHRISTUM
filium eius vnicum, Dominum
nostrum.

CAPVT XXXV.

ARGVMENTA.

1. Quòd